

Clodiam secuta erant, navigiis quas *Gazariolas* vocant, 1379
per veterem Medoaci alveum secundo fluvio ad præsidium
usque, quod non longe a monte Albano Veneti habe-
bant, pervenit. Sed quum appareret, non sine ingenti
certamine ac cæde locum expugnari posse, ne in mora
esset, opus aggreditur vere memorabile, ac summo Prin-
cipe dignum. Adhibita namque ingenti agrestium multi-
tudine, a prima diei hora ad meridiem quingentorum
passuum foveam in canalem usque, quem Nasarioli vo-
cant, tam profundam perduxit, ut facile navigia cum
omnibus copiis ea parte perducta sint, ac post paucissimas
horas Nasarioli præsidium per deditionem receperit. Jo-
annes Civranus cum multitudine navigiorum eodem die
ad Patavini Principis motus inhibendos missus, cum ho-
ste congressus ab instituto cursu Carrarium ducem ad no-
ctem remoratus est: inde, sive metu sive negligentia po-
tius, omisso negotio, Clodiam transiit. Hostis interim
per ocium cum omnibus copiis ac commeatu Ligusticæ
se classi adjunxit, relicto ad exitum fluminis præsidio,
loco ad hoc communito, ut tuta esset suis ex continenti
navigatio. Patres Civranum ex Clodia accersitum, quia
in distinendo hoste parum strenuam Reipublicæ operam
navasset, carcere & pecunia mulctarunt.